

ad metropolitanum, concedit solummodo in casibus a jure expressis; ergo ipsa in cæteris casibus non est asserenda. Antecedens probatur ex cap. i, h. t. in 6, ubi Pontifex ideo negat jurisdictionem episcopi excommunicati ad metropolitanum devolvi, « Cum id non inveniatur a jure concessum: » et consequenter dicta potestas episcopi nunquam devolvitur ad archiepiscopum, nisi in casibus a jure concessis: alioquin ratio per Papam allata nihil probaret, quod absit dicere. Concordat c. *Quamquam*, 18, de *Election*. in 6, ubi talis extensio ad alium casum in jure non expressum aperte reprobat, illis verbis: « Quamquam in casu negligentia eligendi potestas ad superiorem proximum devolvatur: hoc tamen non est ad alium casum extendendum. » Accedit c. *Duo simul*, de *Offic. ordinari.* ibi: « Cum sit in canonibus diffinitum primates, vel patriarchas nihil juris præ cæteris habere, nisi quantum sacri canones concedant, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo. » Ex quibus textibus abunde liquet, quod dicta pœna devolutionis jurisdictionis episcopalis ad metropolitanum non sit asserenda, nisi in casibus a jure expressis.

13. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec urgent jura per Glossam n. 8, in contrarium allegata. Nam illa procedunt in casibus particularibus, ac specialiter a jure concessis, de quibus infra n. 17. et seq. jam dicitur: nullibi autem reperitur expressum, quod archiepiscopus generaliter in quibusvis casibus suppleat negligentiam episcopi.

14. *Quid agendum in casu negligentia episcopi?* — Insuper non urget, quod rubrica hujus tituli sit generalis; ac proinde ob negligentiam episcopi videatur generaliter data archiepiscopo facultas supplendi negligentiam ejus. Resp. enim neg. consequent. Sufficit enim, si tunc capitulum cathedrale suppleat negligentiam episcopi in casibus sibi a jure concessis; ut puta, in collatione beneficiorum, et hujusmodi. Vel, si episcopus in suo officio sit admodum negligens, et culpabilis, neque in jure reperiatur, jurisdictionem episcopi tunc devolvi ad capitulum: necesse est, ut capitulum recurrat ad superiorem, nempe metropolitanum, vel Papam, ejusque jurisdictionem impleret, per quam episcopus ad officium suum præstandum compellatur. Pirhing, h. t. num. 12, post Layman, de *Election. prelat.* q. 104.

15. *Quid agendum in casu negligentia episcopi?* — Quinimo licet in prima instantia nequeat adiri archiepiscopus per viam simplicis querelæ, ut (extra casus sibi specialiter a jure concessos) suppleat negligentiam episcopi; potest tamen is adiri per viam appellationis, quando subditus episcopi graviter ex tali ejus negligentia esse læsum conspexerit: nam remedium appellationis generaliter omnibus concessum est, ad reparandum gravamen a iudice injuste illatum, L. I, ff. de *Appellat.* cum similibus. Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 126, n. 14. Insuper poterit tunc adiri metropolitanus, non quidem ut suppleat negligentiam episcopi extra casus sibi a jure concessos; sed ut compellat episcopum, injuste negligentem, ad rite præstandum officium suum: quia enim episcopus eidem est metropolitanæ lege subjectus, c. *Pastoralis*, 11, § 1, de *Offic. ordinari.*, nihil mirum, quod metropolitanus ipsum injuste negligentem compellere possit. Abbas in cit. c. *Pastoralis*, n. 2; Barbosa, loc. cit. n. 35, cum communi.

16. *Lex de supplenda negligentia prælatorum, an spectat materiam prohibitoriam.* — Neque ulterius urget, si dicatur, quod « Lex de supplenda negligentia prælatorum » per superiores, utpote publicam utilitatem Ecclesiarum respiciens, sit favorabilis; ac proinde, ob paritatem rationis, extendenda ad alios consimiles casus, quamvis non habeantur expressi in jure. Resp. enim, neg. sequel. Quia non obstante favore ecclesiarum, dicta lex spectare dignoscitur ad materiam prohibitoriam, per textus n. 10, et 11, allegatos: in materia vero prohibitoria, « seu ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum, » prout loquitur textus Clem. *Exivi*, §. *Porro*, de *Verb. signif.*

§ I.

DE CASIBUS ILLIS, IN QUIBUS PER ARCHIEPISCOPUM SUPPLETUR NEGLIGENTIA EPISCOPI, ET QUID DE HUIUS IMPOTENTIA.

17. *Plures sunt casus, in quibus, jure sic disponente, per archiepiscopum suppletur negligentia episcopi.* — Quæritur I. Quinam sint casus illi, in quibus jure sic disponente per archiepiscopum suppletur negligentia episcopi, hujusque potestas ob suam negligentiam devolvitur ad archiepiscopum? Resp. Plures sunt ejusmodi casus; prout videre est

apud Barbosam, part. I, de *Offic. et potest. episcop.* tit. IV, n. 19, cum seqq. et alios: ut Quaranta in *Summa Bullarum*, §. *Archiepiscopi auctoritas*, referat quadraginta casus a jure expressos, in quibus archiepiscopi sunt iudices competentes in causis subditorum suorum suffraganeorum. Horum præcipui, præsertim ob negligentiam episcopi procedentes (nam de cæteris commodius alibi, nempe in tit. XXX, de *officio judicis ordinarii*, § 2, n. 43, et seqq. dicitur) breviter huc apponuntur.

18. I. *Quando episcopus negligit constituere œconomos ecclesiarum.* — I. Casus habetur in can. *Cum simus*, 9, q. 3, ubi metropolitanus constituit œconomos, si ipsos episcopus in singulis ecclesiis constituere neglexerit. Idque ob necessitatem ecclesiarum specialiter sic fuit statutum.

19. II. *Aut non vult absolvere excommunicatum, cum deberet.* — II. Quando episcopus non vult absolvere excommunicatum, cum deberet, potest ipsum debita cautione recepta absolvere metropolitanus; prout habetur. c. *Per tuas*, 40, de *Sent. excomm.* Concordat c. *Qua fronte*, 25, de *Appellat.* etc. Ad reprimendam, 9, de *Offic. ordinari.* Idque merito fuit constitutum, ne quis ob negligentiam episcopi, in excommunicatione decedat.

20. *Vel indebite denegat dispensationem.* — Hoc ipsum Barbosa, cit. tit. IV, n. 24, cum aliis, extendit ad dispensationem, asserens, quod episcopo denegante dispensationem, quando est debita ratione personæ, ætatis, loci, temporis, pietatis, necessitatis, aut utilitatis Ecclesiæ, possit archiepiscopus dispensare.

21. III. *Si episcopus notoria crimina suorum diœcesanorum emendare negligit.* — III. Si notoria crimina suorum diœcesanorum episcopus emendare neglexerit, eadem archiepiscopus libere corrigit, ac punit: prout habetur, cap. i, § *Sane*, de *Censibus*, in 6.

22. IV. *Aut fuit negligens circa collationem beneficiorum ecclesiasticorum.* Quando episcopus, aut capitulum cathedrale, negligit intra debitum tempus conferre beneficia, ad quem devolvitur potestas conferendi. — IV. Archiepiscopus supplet negligentiam suffraganei episcopi circa collationem beneficiorum ecclesiasticorum. Nam si collatio beneficii jure proprio pertinet ad episcopum, tunc quidem eo negligente conferre intra tempus debitum, devolvitur potestas conferendi ad capitulum

cathedrale: ac vicissim, si collatio jure proprio spectabat ad capitulum, et istud conferre neglexit, dicta potestas devolvitur ad episcopum, per textum expressum in c. *Nulla*, 2, de *Concess. præbend.* Ubi ita statutum reperitur, ob magnam communionem, quæ inter episcopum et capitulum, tanquam caput et membra ejusdem corporis mystici, intercedit, ut merito unius defectus per alterum suppleatur: nisi forsitan ambo neglexerint, sicque dicta potestas ad immediatum superiorem, nempe archiepiscopum, devolvatur, ut ibidem subjungitur; aut, si episcopus sit exemptus, ad Summum Pontificem. Quod si autem collatio beneficii non pertineat ad episcopum jure proprio, sed ex jure speciali, v. g. ex delegatione, privilegio, aut devolutione ob negligentiam inferioris collatoris, tunc episcopo negligente, jus conferendi non ad capitulum, sed immediate ad archiepiscopum devolvitur: quia quoad hujusmodi beneficia cessat dicta communitio inter episcopum et capitulum. Abbas Panormit. in d. c. *Nulla*, n. 6, de *Concess. præbend.*; Garcias, part. X, de *Beneficiis*, cap. III, n. 34; Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 126, n. 78, et alii, quos citant.

23. *Non valet collatio beneficii facta post debitum tempus.* — Quod si petas, an in tali casu valeat collatio beneficii, quæ fit statim post elapsum tempus, puta post trimestre, vel semestre a jure præscriptum? Resp. negative, nisi de patientia tolleretur. Textus est in c. *Licet*, 4, et c. *Litteras*, 5, et cap. ult. h. t. ac tradit Glossa magna in c. *Nulla*, 2, de *Concess. præbend.* Ratio est: quia post lapsum temporis a jure præfixi, collatores jam sunt privati potestate conferendi, et hæc ipso jure devoluta est ad superiorem; ergo si postea conferant, collatio est invalida: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, c. *Quod autem*, 5, de *Jure patronat.* in fine.

24. *Etiam si primo die post illud fiat.* — Et hoc adeo verum est, ut non valeat collatio, etiam si primo die post sex v. g. menses facta sit. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. de *Devolutionibus*, n. 28. Quamvis enim in nonnullis casibus mora purgari valeat, ut cap. ult. de *Locato*, ibi: « Nisi celeri satisfactione, » cum similibus: fallit tamen hoc, neque admittitur moræ purgatio, ubi est facta executio a jure, ut hic Abbas in c. *Licet*, n. 5, h. t. id probans ex l. *Si insulam*, ff. de *Verbor. obligat.* Sive, ut alii loquuntur, mora purgari non potest,

quando dies et pœna a lege, vel homine apponitur, l. *Ad diem*, 77, ff. *de Verb. obligat.* ubi ex cursu diei apposita statim pœna committitur. Ergo, cum in proposito tempus trimestre, vel semestre, a die notitiæ vacationis ecclesiæ computandum, a jure contra negligentes collatores præfigatur, eo elapso non admittitur purgatio moræ, sed subintrat reg. 25 juris in 6. « Mora sua cuiuslibet est nociva. »

25. *Nisi de patientia toleretur; et cur non valeat?* — Additur notanter num. 23. « Nisi de patientia toleretur. » Nam, si collatio beneficii post lapsum dicti temporis per inferiorem facta, toleretur per superiorem, ad quem jus conferendi devolutum est, tunc electus, vel institutus, tutus est in conscientia, illud retinendo, arg. d. c. *Litteras*, h. t. ac notat ibidem Layman notab. 1, et doctores passim. Ratio est: tum quia multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente justitia non debent tolerari, sed cassari, c. *Cum jam dudum*, 18, de *Præbend.*; tum quia, licet superior non possit ratificare, seu convalidare dictam collationem beneficii, utpote ipso jure nullam et invalidam, ut c. *Auditis*, 20, de *Elect. bene* tamen potest illud conferre de novo, eo quod ad ipsum propter negligentiam alterius jus conferendi sit devolutum. Abbas in cit. c. *Litteras*, n. 2, et ibi Ancharanus, n. 2, h. t. Et quia nova hæc collatio videtur tacite fieri, dum superior institutum de patientia tolerat (prout in simili de dispensatione dictum est supra, tit. II, de *Constitutionibus*, § 18, n. 481), hinc Glossa, fin. in d. c. *Litteras*, recte inquit, quod taliter institutus in beneficio acquiritur jus, non ex illa institutione ex tunc, sed ex nunc ex tali patientia; utpote quæ vim novæ collationis obtinet.

26. *V. Archiepiscopus instituit promotos in Ecclesiis parochialibus si eos episcopus debito tempore non instituerit.* — V. Insuper in parochialibus Ecclesiis tenetur episcopus illos infra duos menses instituere, qui juxta formam concilii Tridentini ad eas promoti fuerunt; alioquin patroni possunt adire archiepiscopum, qui eos instituat: prout statuit beatus Pius V, in bulla quæ incipit, *In conferendis*, anno 1567, die 18 martii edita, et refertur, tom. II, *Bullarii Romani*, constitut. 33 dicti Pontificis.

27. *VI. Episcopo negligente in executione ultimæ voluntatis ad pias causas, succedit archiepiscopus.* — VI. Idem procedit in executione

ultimæ voluntatis ad pias causas: nam episcopo negligente, succedit archiepiscopus, juxta auct. de *Ecclesiasticis titulis*. *Si quis autem pro redemptione*. Collat. 9, ac notat Abbas c. *Pastoralis*, n. 11 et ibi Barbosa, n. 8, de *Offic. ordinar.*

28. *VII. Idem procedit in jurisdictione contentiosa.* — VII. Ac specialiter loquendo de jurisdictione contentiosa, archiepiscopus non solum cognoscit de omnibus causis subditorum suffraganei sui, quæ per appellationem ad ipsum deferuntur, c. *Romana*, 3 §. *Debet autem, de Appellat.* in 6, sed insuper is supplet negligentiam episcopi in causa denegatæ, vel protractæ justitiæ. Quod ut melius intelligatur.

29. *Archiepiscopus supplet negligentiam episcopi in causa denegatæ justitiæ.* — Quæritur II. Quia ratione archiepiscopus suppleat negligentiam episcopi in causa denegatæ, vel protractæ justitiæ? Resp. I. In priori casu, videlicet in causa denegatæ justitiæ (quæ tunc accidit, quando iudex inferior, puta episcopus, debite saltem semel requisitus, justitiam denegavit, seu litem cum æquitate audire recusavit) generaliter devolvitur jurisdictionis primæ instantiæ ad superiorem, ut etiam per viam simplicis querelæ adiri possit. Ita habetur in auct. de *Mandatis principum*, § *Sit tibi quoque*, collat. 3, et auct. *In differentes iudices*, collat. 9, ac veluti certum tradit Gailus, lib. I. *Pract. Observat.* 28, n. 1, cum doctoribus communiter. Nam, ubi prima instantia ab inferiore iudice denegatur, necesse est eam quærere apud superiorem; et quidem sub ratione primæ instantiæ, quia non est secunda sine prima. Engel, h. t. num. 4.

30. *Quæ ad hoc requirantur?* — Limitatur tamen data conclusio imprimis, dummodo iudicium coram iudice inferiori, puta episcopo, nondum sit cœptum. Nam si res amplius non sit integra, sed iudicium semel cœptum coram inferiore, si postea in progressu justitia denegetur, non per viam denegatæ justitiæ, vel simplicis querelæ, sed per modum appellationis, ob negligentiam inferioris iudicis causa ad superiorem devolvitur, ac proinde opus erit appellatione. Gailus, cit. observat. 28, n. 2, id probans ex praxi Cameræ, et doctrina Abbatis Panormit. in c. *Ex parte*, 67, n. 2, de *Appellat.* Insuper ad hoc requiritur, quod de facta debita requisitione, et subsecuta denegatione justitiæ, doceatur per publicum instrumentum, vel

alias legitimas probationes: alioquin enim tanta negligentia in iudice non præsumitur, nisi probetur.

31. *Et an sufficiat, quod semel denegata sit justitia.* — Sufficere autem, quod vel semel denegata sit justitia, atque hoc rite probari valeat, præter jura allegata, desumitur ex reg. 8 juris in 6. « Semel malus, semper præsumitur esse malus. » Cum concordantiis ac tradit Glossa in Clem. 1. §. *Requisierint*, et ibi Imola, de *Hæretic.* et Glossa, loc. cit. n. 5. Quamquam hoc recte intelligatur in casu, quo iudex expresse verbo, vel facto, ut puta verberibus, aut incarceratione, denegavit justitiam administrare, arg. Clem. *Quamvis, de Appellat.* Alioquin enim, ut inferior possit convincere superiorem de negligentia, opus esse trina requisitione, colligitur tum ex cap. 1. h. t.; tum ex Auth. *Statuimus. C. de Episc. et cleric.* ibi: « Si quis justitiam denegare præsumpserit, tertio requisitus jurisdictionem suam amittat. » Atque tradit Felinus in c. *Ex litteris*, n. 8. § *Fallit enim primo de Constitut.* citans alios; licet nonnulli oppositum teneant, prout apud ipsum latius est videre.

32. *Quid juris in causa protractæ justitiæ?* — Resp. II. In causa protractæ justitiæ, quando videlicet inferior iudex, puta episcopus, acceptavit quidem causam, sed protraxit seu neglexit eam finire, prius decernuntur a superiore iudice, puta archiepiscopo, *Promotoriales*, ut vocant, in quibus inferiori iudici, puta episcopo, assignatur terminus, sive certum tempus pro administranda justitia: et elapso termino illo censetur primum iudicium devoluta ad superiorem iudicem. Gailus, cit. lib. I. observat. 28, n. 6. id probans ex praxi Cameræ; Engel, h. t. n. 4. et 5. atque in simili tenet Glossa ad *rubricam, de Postulat. prælati.* in 6. Insuper de facto, ex novo decreto concilii Trid. sess. 21. cap. xx. de *Reform.* quando causæ quæcumque ecclesiasticæ in prima instantia coram ordinariis locorum infra biennium, a die motæ litis computandum, non terminantur; postea liberum est partibus, vel alteri illarum, iudices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, et quamprimum terminare curent.

33. *Limitantur præmissa.* — Sciendum tamen, quod prædicti casus, et alii hujusmodi solum procedant in episcopo non exempto, seu in suffraganeo archiepiscopi, qui videli-

cet hujus jurisdictioni est subjectus: adeo, ut archiepiscopus possit ipsi præcipere, quæ ad officium episcopale spectant, atque ad horum executionem compellere, etiam per censuras, arg. can. *De iis*, dist. 12. et amplius probat Glossa fin. ibid. Dummodo hinc excipiantur causæ criminales graviore contra episcopos: nam harum cognitio, et decisio, ad solum Papam pertinet, juxta concilium Trident. sess. 24. de *Reformat.* cap. v.

34. *Negligentia episcopi exempti suppletur solum per Papam.* — Porro negligentia episcopi exempti nunquam potest suppleri per archiepiscopum, sed dumtaxat per Papam; cui ejus negligentia est denuntianda, arg. c. *Nullus*, 17. de *Jure patronat.*, ubi negligentia episcopi Adonensis nuntiatur Papæ, eo quod non recognoverit alium superiorem, nisi Papam; sicque ejus negligentiam metropolitanus supplere nequiverit. Barbosa, part. I. de *Offic. et potest. episcop.* tit. IV. n. 26; Quaranta in *Summa*. §. *Archiepiscopi auctoritas*, n. 21. et alii.

35. *Archiepiscopus non supplet impotentiam episcopi.* — Quæritur III. Utrum archiepiscopus suppleat etiam impotentiam episcopi, qui vel est excommunicatus, vel ab hostibus fidei captus, vel in amentiam lapsus, aut alio impedimento diu durabili omnino inutilis effectus ad administrationem episcopatus? Resp. negative: quia nullibi istud invenitur in jure concessum; atque tenet communis doctorum.

36. *Exemplificatur hoc in episcopo excommunicato, suspenso.* — Et hinc, cap. 1, h. t. in 6. expresse habetur decisum, quod episcopo excommunicato (vel suspenso) propter delictum suum, non idcirco ipsius jurisdictionis devolvatur ad archiepiscopum (cum id non inveniatur a jure concessum), licet alia pœna arbitraria secundum qualitatem delicti, vel causæ, possit pro culpæ sui suffraganei per metropolitanum injungi. Et merito in tali casu jurisdictionis episcopalis non conceditur archiepiscopo: quia alioquin ipsi daretur occasio excommunicandi suffraganeum suum, ut hujus jurisdictionis ad ipsum devolveretur; quod esset ad injuriam sæpe episcopis, et ad incommodum subditis. Vivianus in *Rationali juris canonici*, cap. 1. h. t. in 6. post Geminian. ibid. n. 3. inde concludens cum Archidiacono ibid. §. *Revocamus*. quod in tali casu sit recurrendum ad Papam, veluti omnium ordinarium, can. *Cuncta*. et seqq. 9. q. 3. petendo ab ipso, ut vel ab excommunica-

tione episcopum absolvat, vel alia ratione provideat. Pirhing h. t. num. 14. citans alios.

37. *Capto ab infidelibus.* — Deinde, quod capto ab infidelibus episcopo, hujus potestas non devolvatur ad archiepiscopum; sed quod interim capitulum, ac si sedes ipsa vacaret, administrare debeat tam in spiritualibus, quam temporalibus, donec episcopus libertati restituatur, vel per Papam, qui super hoc per capitulum, quam cito fieri poterit, est consulendus, aliud contigerit ordinari; habetur pariter clare decisum c. *Si episcopus.* 3. h. t. in 6. Et ratio est, quæ supra: simulque, quia episcopus captus censetur civiliter mortuus: sicque capitulum supplet vices, ejus ac si sedes episcopalis vacaret. Quamvis per hoc non negetur, quin episcopus, ab hostibus fidei captus, possit per litteras suis subditis præcipere, suamque ecclesiam, quatenus valet administrare, exempto sancti Marcelli Papæ et martyris, qui captus a paganis parochias, quas præsens non poterat, visitavit per epistolas, atque sanctorum Polycarpi, Ignatii, et aliorum plurium Pontificum. Layman in d. c. *Si episcopus.* n. 1. (ADNOTATIO XLIII.)

38. *Et lapsio in amentiam, vel alio diuturno impedimento detento.* — Tandem, quod episcopo in amentiam lapsio, vel alio diuturno impedimento detento, non devolvatur ejus jurisdictio ad archiepiscopum, patet ex can. *Scriptis mihi,* et can. *Pontifices,* et can. *Quamvis triste,* 7. q. 1 ubi dicitur, coadjutorem esse dandum episcopo propter infirmitatem, senectutem, vel amentiam. Accedit ratio: quia, quando episcopus ob delirium, vel aliud durabile impedimentum, omnino est inidoneus ad administrandum, perinde tunc censeri debet, ac si sedes vacaret; nam paria sunt, non habere episcopum, et habere inutilem, c. *Inter corporalia.* § *Sed neque.* de *Translat. episcop.* juncta Glossa ibid. §. *Inutilem;* Barbosa, axiomat. 174, n. 13. et 14. cum aliis.

39. *An interim ad capitulum pertineat administratio episcopatus?* — Unde in tali casu interim ad capitulum pertinere administrationem episcopatus, donec a Sede apostolica aliud ordinetur, recte tradit Layman, loc. cit. n. 1. Atque simili de causa inquit Quaranta in *Summa Bullarii.* §. *Archiepiscopus.* n. 22. quod si episcopus abiit in partes longinquas, nullo constituto vicario, capitulum interim administret.

§ III.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA INFERIORUM PRÆLATORUM. JUDICUM, ET REGUM.

40. *Episcopi aliique ecclesiarum prælati tenentur ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere.* — Quæritur I. Qua ratione suppletur negligentia inferiorum prælatorum? Resp. I. Episcopi, aliique Ecclesiarum prælati, tenentur ad corrigendos subditorum excessus maxime clericorum, et reformandos mores prudenter, et diligenter intendere ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Textus est in c. *Irrefragabili,* 13. §. 1. de *Offic. ordinar.* Unde etiam ad coercendam inferiorum rectorum negligentiam, et corrigendos subditorum excessus opportunam canonicarum visitationum remedium arripere tenentur: quia « non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor ignorat; » prout loquitur sanctus Gregorius Papa in *Regesto,* ac refertur, c. *Quamvis.* 10. de *Reg. jur.* cum similibus.

41. *Quid juris, si inferiores prælati negligent justitiam administrare.* — Resp. II. Quando inferiores prælati, ut puta archidiaconus, vel capitulum cathedralis, ex privilegio habent potestatem corrigendi delicta subditorum, vel eam ex consuetudine contra episcopum præscripserunt, si ipsi negligent justitiam administrare, potest episcopus eis præfigere terminum; quod elapso ipsemet episcopus procedit, eorumque negligentiam supplet. Ita habetur in cit. c. *Irrefragabili.* § *Excessus.* de *Offic. ordin.* ac tradit Abbas ibid. n. 2. et card. Tuschus, litt. N. conclus. 34. et 35. post Calderinum, consil. 192. et alii. Ratio est: quia non aliter tunc episcopus censetur amisisse jurisdictionem, nisi in quantum inferior præscribens, aut privilegiatus, velit ea uti; ergo, quando ipse intra terminum sibi præfixum negligit suam jurisdictionem exercere, illico poterit eam episcopus exercere (cum hoc jam posset spectato juri communi) nec est necesse recurrere ad alium superiorem. Abbas loc. cit.

42. *Omissa per negligentiam prælatorum, ordinarie per superiores supplentur gradatim.* — Resp. III. Generatim loquendo, ea, quæ per prælatorum negligentiam omissa fuerunt, ordinarie per superiores supplenda sunt, gradatim ascendendo usque ad summum Pontificem. Ita communis; idque desumitur tum ex

hierarchia ecclesiastica, quæ superiores debent invigilare inferioribus; tum probatur multiplici inductione. Sic quippe negligentia prælatorum, in collatione beneficiorum commissa, ordinarie suppletur per immediatum superiorem, c. *Ne pro defectu.* 41. de *Election.* cum similibus. Insuper judex delegatus supplet negligentiam ordinarii, vel alterius delegati, c. *Prudentiam.* 21. § penult. et c. ult. de *Offic. delegat.* Item ordinarius supplet negligentiam abbatis, non revocantis monachum vagabundum, c. *Quanto.* 7. de *Offic. ordinar.* et sic loquendo de pluribus aliis.

43. *Quandoque etiam per inferiores.* — Ad dicitur notanter, « ordinarie per superiores. » Nam interdum negligentia prælatorum suppletur per inferiores; idque ex speciali dispositione juris, ob specialitatem rationis. Sic quippe negligentia episcopi in conferendis beneficiis, quorum collatio ad ipsum jure proprio pertinet, suppletur per capitulum, ratione communionis, quam ad invicem habent c. *Nulla.* 2. de *Concess. præbend.* estque amplius dictum n. 22. et seqq. Similiter si ex malitia, vel desidia delegati Papæ, quis perseveraverat in peccato, supplet ordinarius loci, haud obstante quod causa fuerit delegato commissa; et hoc ad præcavendum peccatis c. *Significavit.* 6. de *Offic. ordinar.* Item in can. *Volumus.* dist. 89. omnis clerus constituit episcopo vicedominum, et majorem domus, si hunc ipse constituere neglexerit: nam hoc concernit etiam bonum commune totius cleri. Tacentur aliæ fallentiæ, supra n. 5. jam adductæ.

44. *Judex ecclesiasticus potest supplere negligentiam judicis sæcularis.* — Quæritur II. Utrum judex ecclesiasticus possit supplere negligentiam judicis sæcularis, et econtra? Resp. I. Judex ecclesiasticus potest supplere negligentiam judicis sæcularis. Ita Glossa fin. in c. *Qualiter et quando,* 17 et Abbas, ibid. n. 7. de *Judiciis.* card. Tuschus; litt. E., concl. 240, n. 1; Sperellus, decis. 126. *Fori ecclesiast.* n. 47; Maranta, part. IV. *Speculi Aurei* distinct. 41. n. 41. post Baldum in l. *Contractibus.* § *In omni.* C. *De non numerat. pecun.*; Barbosa, c. *Licet ex suscepto,* n. 2. de *Foro compet.* citans complures alios, estque communis. Idque aperte habetur decisum in c. *Ex transmissa,* 6. et c. *Licet.* 10. et c. *Ex tempore,* 11. de *Foro competent.* ubi judici sæculari negligente, seu malitiose differente terminationem causæ, etiam feudalis, potest adiri judex ecclesiasticus, ut debitum ei fi-

nem imponat. Accedit ratio: quia, licet distincta sit potestas ecclesiastica a potestate sæculari, seu politica, tamen illa est sublimior, et tanto præstat sæculari, quanto quæ sunt spiritualia, præstant corporalibus, c. *Solite,* de *Majorit. et obed.* Simulque Ecclesia saltem indirecte, seu casualiter, exercet jurisdictionem in bona temporalia christianorum, c. *Per venerabilem.* *Qui filii sint legit.* estque uberius dictum, tit. II. de *Constitutionibus,* § 3. n. 57. et 58; ergo mirum non est, quod potestate sæculari negligente possit potestas ecclesiastica desuper requisita se impendere atque alterius negligentiam supplere.

45. *Non tamen econtra. Et ratio disparitatis.* — Resp. II. Non tamen econtra judex laicus potest supplere negligentiam judicis ecclesiastici; ac proinde clerici ad sæculare forum trahi nequeunt, etiam data ipsorum prælatorum negligentia. Ita habetur in cit. c. *Qualiter et quando de Judiciis.* prout illud communiter sumatur; ac tenet Glossa fin. et Hostiensis, et Abbas, n. 7. et Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. citans alios. Sperellus, decis. 126. *Fori ecclesiast.* n. 48; Farinacius, part. IV, lib. I, consil. 68, n. 2. et 10, allegans Rotam in una *Oscen. Penitentiariæ.* 10 aprilis. 1595, coram D. Blanchetto, et alii communiter, contra Glossam in can. *Filiis ac nepotibus.* 16. q. 7. §. *Regis.* et Menochium, de *Retinenda possessione,* remed. 3. n. 355. et seqq. volentem quod in realibus possit judex sæcularis supplere negligentiam judicis ecclesiastici, licet non in personalibus. Ratio conclusionis est, quia judex sæcularis nullam habet jurisdictionem in clericos, c. *Ecclesia sancte Mariæ.* 10. de *Constitut.* Imo est hujus jurisdictionis incapax, c. *Causam qua.* 7. de *Præscript.* et can. *Sacerdotibus.* 11 q. 1. Estque longe inferior ecclesiastico, cit. c. *Solite.* de *Majorit. et obed.* veluti si plumbi metallum ad auri fulgorem comparatur, can. *Duo sunt.* dist. 96. Ergo non mirum, quod judex sæcularis nullo modo possit supplere negligentiam judicis ecclesiastici: nunquam enim minor supplet negligentiam majoris, nisi in casibus jure expressis, ut notat Innocentius in c. *Quia diversitatem.* de *Concess. præbend.* Atque rationes istæ urgent non solum in actionibus personalibus, sed etiam in realibus clericorum: præsertim ex eo, quia si persona est exempla, ergo et res, quæ personæ accessoria est, exempla esse debet, c. *Accessorium.* 42. de *Reg. juris.* in 6. cum concordantiis. Insuper per hoc patet maxima di-